UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

63. An si quis co[m]modet arma amico volenti duellare, incidat in excommunicationem? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. r. 101.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

Sup. hoc ibidem in fine dicti §. Dico quarto.

inveniunt in loco duelli, aut in illum incurrunt suum iter agentes, imò & qui illius conscius tendit in eum locum sola gratia videndi quæ illic geruntur, illa enim curiositas non damnatur in Concilio, quia ij spectatores comparatione duelli sunt per accidens, neque enim propter illos promovetur duellum, sed fortè impedietur multitudine spectatorum. Damnantur igitur à Concilio spectatores curiosi, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores & testes, hi enim duellum promovent tacita illius consensione; duellatores enim multum concitantur ad agendum de duello spe victoriæ coram illis, quibus coram enascitur jurgium, & causa duelli. Vult igitur Concilium his testibus terrorem injicere, ne conniveant in duello, sed ut illud impediant, quod patet ex usu communi, nullus enim Confessarius diligentiam adhibet, aut curat quid hac in re acciderit pœnitenti. Hæc omnia Hurtado de Mendosa *loco citato*, & 192. licèt contrarium videatur docere Filliucius *tom.2. tract.29. cap.8. num.177.* Bonacina *de censuris, disp.2. q.6. punct.1. num.30.* Floronus *de duello cap.13. n.2.* & Peregrinus etiam *de duello, in expositione Bullæ, num.29.* ubi verba ex condicto interpretantur, qui non casu, sed dedita opera duellum spectant. Vide Reginaldum *tom.2. lib.22. cap.7. n.77.* Coninch *disput.32. n.29.* Sanchez *in summa, tom.1. lib.2. cap.39. n.31.* Cœlestinum *in compend. Theolog. moral. tract.3. cap.10. num.5.* Ex dictis à fortiori apparet reprobandam esse opinionem illam, quam docet Peregrinus *q.37.* nempe eum, qui ad locum duelli causa suscipiendi accessit, afficit excommunicatione, etiamsi duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Vide Bonacinam *ubi suprà.*

Sup. hoc ibidem.

RESOL. LXIII.

An si quis commodat arma amico volenti duellare, incidat in excommunicationem? Ex part.5. tract.14. & Misc.2. Resol.101.

§.1. Solidè, ut semper solet, ad hoc dubium respondet Murt. de Mend. *in 2.2. disp.170. sect.3. §.185.* ubi sic asserit: Meus amicus est pugnaturus armis bonitate inferioribus meis, aut equo minus forti, aut pernici meo; ego verò do illi meum equum & arma, an ne tenebor ob hoc lege Gregoriana? Respondeo non esse dubium me non teneri, si amicus suscipiat justè certamen illud, quem tunc possum ego ut innocentem juvare, comparatione cujus illa monomachia non est duellum, sed justa defensio. Secundò certum est me ea lege teneri, si illarum rerum donatio duellum promoveat, quia tunc est armorum subministratio, quando est causa duelli. Pontifex autem directè interdicit omnes causas duelli. Igitur si meus amicus creditur prudenter aut speratur destiturus à pugna, nisi à me illis armis muniatur, teneor ea lege, ut armorum subministrator. Si verò amicus non est destiturus à pugna, quâvis illis armis non muniatur, teneor eadem lege, si ea arma sint contra pactum duellatorum, e.g. si inter illos pactum sit cum solis ensibus, & pugionibus sine aliis armis offensivis, aut defensivis, vel cum solis ensibus, & palliis, non possum ego amico ministrare clypeum, aut pistoletum, quia est nova injustitia in illa armorum inæqualitate, quæ proculdubio ea lege continetur, omnis enim iniqua armorum subministratio illis legibus comprehenditur. Si verò arma non constituant inæqualitatem, quia pacta sunt in eadem specie, intra illam verò sunt mea meliora, quam quæ habet amicus, v.g. melior ensis, acutior pugio, fortior clypeus, tunc non teneor ea lege. Probatur, quia ea lege non continentur nisi qui peccant in armis subministrandis, omnes enim actiones à Pontifice recensitæ, sunt prohibitæ jure naturali; sed in eo casu ego non pecco, ergo neque ea lege præstringor. Probo minorem, quia ea actio non est intrinsecè mala, earum enim rerum donatio non est ex se vitiosa, quo differt à consilio, quod est intrinsecè malum, estque peccatum, licèt non sortiatur effectum. Neque item illa donatio est mala hîc & nunc; non enim est scandalum, quia ego non sum causa ruinæ amici, ille enim ruit independenter à me: mutuare autem illi instrumenta ego possum, cùm suppetit honesta causa, ille enim qui certus est solvere jejunium cibo noxio, possum ego præbere, cibum innoxium; ita amico pugnaturo cum majori vitæ discrimine propter arma periculosa, possum ego præbere arma securiora, ut discrimen vitæ sit minus. Neque item illa arma sunt causa, ut duelletur, sed ut minori cum periculo duellet amicus, ut non sunt causa cibi innoxij, ut amicus solvat jejunium, sed ut solvat sine corporis noxa. Imò si ego viderem hominem malè armatum laxis armorum ligulis, teneter ex charitate ligulas stringere. Imò si ejus inimicus incederet loricatus, alius autem inermis, certus tamen se illi periculo exponere teneor ego ex charitate illum loricare si possum, ut sic eum reddam immunem à discrimine imminente ob armorum inæqualitatem. Pontifex autem excommunicans subministrantes arma, loquitur de subministratione injusta, & quæ aliquo modo est causa, ut veniatur ad duellum, non verò de subministratione licita, & quæ nullo modo est causa, ut veniatur ad arma. Ita Hurtadus *loco citato.* Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Floronum *tractat. de duello, cap.11. n.4. & 5.* & Peregrinum etiam *de duello, quæst.25. n.1.*

RESOL. LXIV.

An sepelientes mortuum in duello sint excommunicati?
Et an sit necessaria sententia judicis declaratoria, ne supradictus mortuus in duello in Ecclesia sepeliatur?
Et in §. ultimo hujus Resolutionis aliqui alij casu explanantur pro duello, sed jam omnes in hoc novo ordine supra in Resolutionibus proximè præteritis sunt discussi & appositi.
Et tandem quæritur, an famuli tantum scribentes chartas provocantes ad duellum, & non deferentes eas incurrant in excommunicationem? Ex part.7. tract.11. & Misc.2. Resol.44.

§.1. Ad hoc dubium ita respondet Baunius *in Theol. Mor. disput.3. tractat.2. quæst.19.* ubi sic ait: Dico secundo, qui precibus aut sepultura monomachos impertiunt, nusquam locorum excommunicatos esse.

2. Causa est, quod Ecclesiastica vincula, nullum stringant, ob sui cum præciso consortium, nisi de nomine, publicáque omnium aut majoris civium conscientia sit talis, ut ex decreto PP. in Constantiensi Concil. Doctores colligunt, quibus hoc statuere visum ad communem salutem, *in extravag. ad evitanda*; nemo ut deinceps teneatur aliquem ratione alicujus sententiæ, vel censuræ, vitare in Sacramentorum receptione, vel administratione, vel aliis rebus externis, nisi hæc in eum specialiter sit publicata aut denunciata, vel nisi pro sacrilega manuum in Clericum injectione, eum sententiam latam à Canone, adeò notoriè constiterit incurrisse, ut nulla possit tergiversatione celari. At nec è superiori loco, unquam dicta est excommunicationis sententia in monomachum